

Ego vero nusquam esse illos puto.

Igitur ne esse quidem?

Prorsus isto modo, et tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sint.

5 Iam mallet Cerberum metueres quam ista tam in- 12
considerate diceres.

Quid tandem?

Quem esse negas, eundem esse dicis. ubi est acumen
tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum qui
10 non sit dicis esse.

Non sum ita hebes, ut istud dicam.

Quid dicis igitur?

Miserum esse verbi causa M. Crassum, qui illas for-
tunas morte dimiserit, miserum Cn. Pompeium, qui
15 tanta gloria sit orbatus, omnis denique miseros, qui
hac luce careant.

Revolveris eodem. sint enim oportet, si miseri sunt;
tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent.
Si igitur non sunt, nihil possunt esse; ita ne miseri
20 quidem sunt.

Non dico fortasse etiam, quod sentio; nam istuc
ipsum, non esse, cum fueris, miserrimum puto.

Quid? miserius quam omnino numquam fuisse? ita, 13
qui nondum nati sunt, miseri iam sunt, quia non sunt,
25 et nos, si post mortem miseri futuri sumus, miseri
fuimus ante quam nati. ego autem non commemini,
ante quam sum natus, me miserum; tu si meliore me-
moriam es, velim scire, ecquid de te recordere.

Ita iocaris, quasi ego dicam eos miseros, qui nati non 7
30 sint, et non eos miseros, qui mortui sunt.